





R. N. D. N. J. C. 1679, 34  
EXERCITIUM LEGALEM 26  
*Scm*  
DISSERTATIONEM JURIDICAM  
*DE*  
**BENEFICIO  
COMPETENTIAE**  
SUB PRÆSIDIO  
**DN. GEORGII ADA MI STRUVII**

Jcti Consummatissimi, Serenissimorum Ducum Saxo-  
Vinariensium Consiliarii Intimi-Eminentissimi, Facultatis  
Juridicæ Jenensis Præsidis Ordinarii, Curia provin-  
cialis ac Scabinatus Assessoris Primarii  
Gravissimi

**DN. PATRONI ac DOCTORIS SUI  
OMNIS OBSERVANTIÆ CULTU  
PROSEQVENDI**

**IN HELICON SALANO**

*Placide Disquisitioni*

A. d. Februarii Anni R. S. M DC LXXIX.  
*publice exhibebit*  
Autor - Respondens

**CHRISTIANUS Seifffer / Siles.**

**JENÆ,**

Imprimebat Samuel Adolph. Müller.

3. VIRIS.  
MAGNIFICIS STRENUIIS NOBILISSIMIS  
REI-PUBLICÆ WRATISLA-  
VIENSUM INCLUTISSIMÆ  
PRÆSIDI,  
SENATORIBUS  
&  
SYNDICIS.  
PATRIBUS PATRIÆ OPTIME MERITIS,  
DOMINIS SUIS BENIFICIENTISSIMIS,  
PATRONIS ac FAUTORIBUS  
Debito Obsequio æternum  
Devenerandis.  
Exercitium Hoc Legale  

---

Humillime, subiecte, devote  
offere, dedicat, consecrat  
Autor - Respondens.

Ubitationis aleæ aliquamdiu ex-  
positus fui, facerem ne in Juridico  
Studio periculum virium, anpo-  
tius id omittrem? Hoc quidem  
imbecillitas suggestit; aliud vero  
à me exegit, quâ teneor devincto obligatio. Mo-  
rem itaque huic gerere magis meuim esse duxi,  
quam ut infirmitatis susurri aurem præberem,  
quippe nquam de Benigitate V E S T R A,  
**D O M I N I B E N E F I C E N T I S S I M I**,  
mili despondere licet optima Confidentialia, vel  
invalidum me sublevabit, vel lapsu erigeret.  
Hinc illi V E S T R Æ tam præclaræ G R A T I Æ  
confusus lapidem movere non dubitavi. Quam-  
vis vero spatus Legum campus tantæ sit uber-  
tatis, ut in vastitate ejus immensa pariter gravis-  
sima, ac numerosissima deprehendere liceat  
Doctrinæ genera, quibus opera impendi posset;  
nec tamen nervos altioris indaginis Themati  
intendere mihi integrum fuit: nam consultius  
me facturum arbitratus sum, eo assurgere labore  
& cultu, quo ingenio pertingere possem.

Præ-

¶

Præfixi itaque metæ loco Materiaem, exiguae  
quidem artis, prout ego eam tractare institui,  
indigam; attamen non omni plane destitu-  
tam utilitate, neque, quod ad me attinet, difficul-  
tate. Quemadmodum Statuarius Tironi suo  
non injungit ut Dianam aut Mercurium artifi-  
ciosè effingat: sufficit enim si rudimenta de-  
positurus levioris operis & qualem qualem Sta-  
tuam formare noverit: Sic pari ratione & ego,  
quod potui, præsteti, idque Tirocinii instar  
V O B I S sisto mente humillimâ. Vultu er-  
go Benignissimo PATRONI MAXIMI,  
Primitias hasce Academicas, quas præteriti Aani  
messis largita est, accipite; & in posterum Be-  
nictione Divina, laboribus meis annuente,  
maturiora & meliora certò expectate.





I. N. D. N. J. C.

# DISSERTATIONIS JURIDICÆ

DE

## BENEFICIO COMPETENTIAE INTRODUCTIO.

ubi

Vocum Explicatio cum Definitione  
exhibitetur.



Mnis methodica Tractatio præmittere solet ea, quæ extra rei essentiam quidē sunt posita, validè tamē ad intimam Naturæ cognitionem exhauiendam faciunt: Nomina quippe notarum rerum sunt, quibus probe perceptis id ipsum quod iadigant facilius pariterque felicius capitur intellectu.

II. Ne itaque in verso, ut dicitur, aut planè turbato ordine hoc nostrum, quod aggredimur, periculum fistatur; sed membrum, eā, quā decet serie, cohæreat membro, quid circa voces notandum ante, quam operi principali manum admoveamus, enodabimus.

III. Hæc verò, quæ Essentialibus sunt præferenda Extra-essentialia, concernunt aut *Natales* seu unde originem trahat, quo materies nostra est insignita, Titulus: aut *Ambiguitates*, diversas scilicet ejus, pro varietate rerum, quæ eo concipiuntur, significaciones: aut denique *plura*, idem tamen connotantia

A

tia

tia seu parallela cognomenta. Quibus subjicitur ipsa Rei Definitio.

IV. Constat Dissertationis hujus Rubrica duabus vocibus, quarum nominalis significatio quoad Etymologiam & Homonymiam divisim excutienda.

Altera est *Beneficium*, quod, ut cum Grammaticis loquar, Nomen derivativum est, deductum à *to benefaciendo*, quod ex compositione Adverbii *bene* cum verbo *facere* exsistit.

Altera est *Competentia*: itidem talis vox, quæ Præpositioni *con* & verbo *petere* originem debet.

V. Utrumque vocabulum, prout accipitur, varium est: *Beneficium* generaliter sumptum denotat id quod alicui gratum offertur atque acceptum: Sic Aristoteles: *Beneficium accipere inter jucunda referendum*: nam beneficia accipere est consequi ea quæ cupimus. *Rheticor.* 12. Et *JCTus Paulus* invito, *inquit*, *beneficium non datur I. 69. de R. J.* Ex eadem causa Feudum olim dicebatur *beneficium*. *vid. Magnificus Dn. Praes Synt. J. F. Cap. II. §. I. seqq. §. II. num. 1. Cap. VI. §. IX. n. 2. 3. Borchli. in Confuetud. F.F. C.I. n. II.* Hinc *Vasallus Beneficiarii* vocabatur: quia secundum regularem Feudi naturam absque pretii soluzione conceditur. *Laudatus Dn. Praes. Synt. J. F. C. I. §. IV. C. II. §. II. n. I. f. C. IV. §. XV. Borch. lt. d.c. n. 12.*

Specialiter in jure favorem designat, quo à communijure certæ personæ eo affectæ eximuntur, qui, earum conditione deficiente, ipse quoque deficit. *I. 68. de R. J.* Tale beneficium tribuit *SCt. Vellej.* *I. 40. pr. d. cond. in deb.* unde etiam ob factum dolosum cessat. *I. 23. C. ad. SCt. Vellej.* nam mulieribus tunc succurrendum est cum defraudantur, non ut facilius calumnientur. *I. 110. §. 4. de R. J.*

Competentia etiam non est unius significationis dictio: dicitur *competentia judicis arg. Rubr. ff. d. Judic. verb. ubi quis agere vel conveniri debeat.* Et *Competentia Foii respectu Rei*: quippe cuius *Judicem & Forum Actor sequi tenetur. I. 2. C. de J. dicit. omn. Judic. I. f. C. ubi in rem Aet.*

VI. Huc usque Inscriptionis vocabula singulatim considerata sunt: jam eadem conjunctim veniunt observanda. Et quidem

quidem circumspiciendum quomodo illa alias exprimatur. In-signitur Privilgium Competentia: Privilgium & Benefici-um deductionis. *Dn. Carpz. P. I. C. 32. D. 17.* Exceptio in qua-tum debitor facere potest. *Schneidev. ad s. sed & si quis Inst. d. Act. n. 2.* In id quod vel quantum quis facere potest Conven-tio arg. §. 38. d. *Act. arg. l. 16. seqq. d. rejud.* Condemnatio arg. §. 37. d. *Act. arg. l. 6. l. 18. l. 20. seqq. l. 40. d. rejud.* Condemnatio ne pe-nitus quis egeat. arg. l. 6. de bon. cess. arg. l. 173. d. R. J. add. *Donell.* ad s. sunt præterea d. *Act. n. 5.*

VII. Tantam circa Nomina occupatum fuisse sufficiat; rem ipsam nunc tangam. Est vero Beneficium Competen-tia Privilgium personale, ex æquitate debtoribus quibusdam competens, ut conventi, habito personarum respectu, tantis-per in id, quod facere possunt, condemnentur, donec solidum solvere queant.

VIII. Generis loco substitui Privilgium, sed cum appo-sito: Personale l. 4. §. 3. quod cum eo. l. 14. solut. matr. l. 24. seqq. d. rejud. Officibus enim debitoris ita adhæret, ut heredem plane excludat. l. 12. solut. matr. l. 41. d. rejud. Exceptio est in *Tit. II. tb. 10. b. & Tit. VII. tb. 6. b.* Nec Fidejussorem admittat l. 63. §. 12. pro soci. l. 24. §. 1. l. 25. d. re jud. add. *Dn. Brunneman.* ad l. 4. d. re jud.

Potest tamen Fidejussores hanc exceptionem opponere, si principale suum defendat; aut à principali, cui litem denun-ciat, defendatur. *Vid. Dn. Brunnem. ad l. 10. §. pen. mand. & l. 63. §. 1. pro Soc. Schneidev. ad s. sed & si quis de Act.*

Sunt enim alia privilegia quæ dantur Causæ, seu Realia; alia quæ persona, seu Personalia l. 196. d. R. J. Illa ex singulari ratione causæ vel rei tribuuntur, quibus etiam persona, ad quam causa vel res ea pertinet, fruitur: persona tamen extin-ctæ salva permanent. l. 68. de R. J. l. 196. ead. Hæc vero sunt, quæ solius persona intuitu conceduntur, atque cum persona regulanter expirant, tam quæ toti alicui personarum ordini, ut minoribus: quam quæ singulis personis seu individuo ut *Titio* conceduntur: Quæ vero ad plures personas, easque uni-versitatem quandam constituentes, pertinent, ut *Clericos*, ad

Successores eorum traducuntur l.4. §. 3. de Cens. Conf. Du. Praes.  
Synt. f. C. Exerc. II. tb. 28-29.

Hic non piget quædere: an Princeps Successor à Prædecessore erogata Privilegia servare teneatur? aff. si ea ob bene merita largitus est. Conf. Salana hujus Antecessor Magni Nominis Dn. Job. Volck. Bechman. ad A. B. Tit. XIII. Exerc. VIII. p. 202. Springer. Ipr. Pub. p. m. 26. q. 5. Beccer. Synops. Jur. publ. L. 1. c. IV. n. 3. §. 7.

IX. Hoc Privilegium non ex stricto jure; sed æquitatis Conniventia descendere liquidum est: illo enim sit executio iniçidum, ut nec quicquam debitori relinquatur, unde vivere possit l.1. c. qui bon. ced posse. add. Dn. Richter. Decis. 24. n. 1. & qui solvendo non est in carcerem detruditur, nec prius hanc evitat quam bonis cesserit d. l.1. add. Donell. d.l. n. 6.

Placet incidentem movere questionem: An detur æquitas scripta? D. inter æquitatem absolute & relate consideratam. Dn. Praes. Exerc. II. tb. 44.

X. Debitoribus hoc Beneficium competere dixi; sed notanter quibundam: Si quidem eorum hic tantum habetur ratio, quibus relaxatio quædam indulgenda: Aut ob personarum respectum; idque vel propter Conjunctionem, eamque velex Sanguine l.18. pr. Solut. matr. l.10. f. l.30. d. re jud. §.38. d. act. add. Tit. I. b. vel conjugio l.14. §.1. l.15. l.27. l.53. fol. lat. matr. l.17. l.20. 22. 24. §.1. d. re jud. l. un. §.7. C. d. R. U. A. §. 37. d. act. add. Tit. II. b. vel Societate l.63. pro Soc. l.16. d. re jud. §.38. d. act. add. Tit. III. b. vel propter beneficium præstitum l.17. 19. d. re jud. §.38. d. act. add. Tit. IV. b. vel propter meritum l.6. pr. d. re jud. l.18. cod. add. Tit. V. b. vel propter miserationem l.2. 3. prl. 5. quod cum eo l.49. d. re jud. l.6. d. cess. bon. §.40. d. act. add. Tit. VI. b. Aut ob causam ex qua agitur l.19. §.1. l.30. d. re jud. l.1. d. don. l.38. d. R. f. §.38. d. act. add. Tit. VII. b. Dn. Praes. Exerc. XX. tb. 48. Exerc. XLIV. tb. 20. Donell. d.l. n. 3.

XI. Quando autem quæritur, quantum quis facere possit, rei judicata tempus inspiciendum est. Fab. ad C. Lib. VII. Def. 42. & ita quis condemnandus, ut licet plus debeat, tantum tamen

men solvat, quo sibi remaneat, quod ad sele Schneider. ad §.  
sunt præterea d. Act. Philipp. Ususpr. Inst. Lib. IV. Eclog. 60. n. 5. fami-  
liamque suam, uti ardo seu vitæ genus postulat, honeste exhibi-  
endum & egestatem evitandam necessarium est. l. 19. §. 1. f. l. 30.  
de re jud. l. 12. de R. f. Non solum quod hoc privilegium ejusmodi  
per sonis concessum, intelligatur etiam familiaria indulatum arg.  
Anth. habita C. ne filius pro patre. sed potissimum ideo, quod si-  
ne liberis & familiaria debitor talis cum honestate vivere non pos-  
sit: Hinc in consideratione qualitatis & conditionis non mi-  
nor liberorum quam ipsius debitoris ratio habenda, ne ex pau-  
pertate & damao familiaria ipsi injurya accedat. l. 5. §. r. d. agnosc. li-  
ber ibique Glos. l. 2. d. usu & hab. l. 26. de V. O. Dn. Carpzov. P. I. C. 32.  
D. 16. 17.

In deducendo autem quod ad alimenta opus est l. 19. §. 1. d.  
rejud. arg. l. 6. d. cess. bon. non inspicitur proprietas patrimonii  
quanti valeat, & quantum ex venditione redigi possit: sed  
quantum ex fructibus percipitur. l. 6. d. cess. bon. Schneider. ad §.  
sed & § quies de Act. n. ult. Ut enim tradit Br. in l. 50. ad SCium Trebell.  
& l. 6. d. cess. bon. omnes LL. qui decernunt alimenta intelligi  
oportere de accessionibus & fructibus non de proprietate bo-  
norum.

Qui verò operis suis sibi sufficere potest l. 5. §. 6. de agnosc.  
& alena liber. ut si artifex & operarius sit, qui labore & exerci-  
tio artificii alimenta consequi valeat, audiendus non est, ne fiat  
ex laborioso & industrio artifice, unus de validis mendicanti-  
bus contra l. 1. C. de Valid. mendic. Mysing. ad §. Itera si de dote Inst.  
d. Act.

Eodem modo procedendum si creditor ipse inopia labo-  
rat: Ei enim potius succurrendum est qui de damno vitando,  
quam qui de lucro captando certat. Dn. Carpzov. P. I. Const. 32.  
D. 15.

Videntur quidem reliquæ actiones, ubi debitor fortunis  
lapsus est, etiam esse in id quod quis facere potest; at revera  
tales non sunt: nam in illis si debitor ex propriis non potest  
præstare solidum, solvat ex alieno: si ne hoc quidem potest in-  
carceratur l. 11. C. quibon. ced. Si verò creditor vinculis vult par-  
cere

sere , poterit omnia debitori eripere' , nec quid ad viustum opus  
est hic attenditur d.l.i.C. qui bon ced. poss. add. Tit. VI. tb. 15. h. Plane  
diversa ratio in his est , qui de suo tantum tenentur ne ipsi ege-  
ant , nec tamen formidine carceris terrendi sunt . Vid. Donell. ad  
§. sunt. præterea d. Att. n. 6.

Quid verò si judex ex ignorantia juris in solidum damnave-  
rit eusmodi personas in judicati executione dolii exceptione uti  
posse affirmatur per l. 17. §. 2. solut. matr. nec quicquam adversus  
sententiam committunt , quia à rigore stricti juris , secundum  
quod ita pronunciatum d. l. 17. §. 1. beneficio singulari sunt ex-  
empti . Donell. d.l. n. 5. Myns. ad §. si de dote d. Att. n. 7.

Verum queritur : an si ultrò solidum solverint , postea in-  
opiz prætextu repeterè possint ne egeant ? quod negatur , quia  
quod vere debent solverunt . Mynsing. add. §. d. Att. n. 7.

XII. Ante vero quam hinc divertar , videndum quibus  
conditionibz hoc beneficium detur : Sc. requiritur primo ut de-  
bitor quis sit non ex delicto l. 52. de rejnd. l. 21. §. f. d. rer. annotat.  
frustra enim legis auxilium implorar , qui contra legem com-  
mittit . l. 37. d. minor. dolove l. 22. §. i. d. rejnd. quia hic nemini d. bet  
patrocinari l. 2. C. qui milit. poss. l. f. C. de reb. Cred. sive is committat-  
tur in contractu , quando quis creditorem , mentitus conditio-  
nem suam , in fraudem induxit l. 4. d. min. l. 10. d. rejnd. sive dolo  
faciat quo minus solvendo sit l. 18. §. i. solut. matr. nam deceptis ,  
non decipientibus succurrunt leges . l. 2. §. 3. ad SCt. Vellej.

Deinde cautio exigitur de integro solvendo ubi ad melio-  
rem fortunam pervenerint l.un. §. 7. C. de R. II. A. l. 63. §. 4. pro Soc.  
l. 8. C. Solut. Matr.

Ab hac cautionis donatione Donato tem excipit Petrus  
Barbosa ad l. 12. solut. matr. n. 100. Vid. Dn. Brunnem. ad l.un. C.d. R.H. A.  
n. 52. cum quo sentit Schneidevv. per l. 16. junct. l. 19. d. rejnd puto  
tamen ab hac non esse liberum , quia quod ab initio erat Volun-  
tatis factum est necessitatis arg. l. 17. Commod.

Sed an Fidejussoria an verò nuda promissaria exigatur con-  
trovertitur : sufficit nuda promissio l. 3. C.d.V. & R.S. Dn. Praes Ex-  
erc. XLIV. tb. 21. Exerc. V. tb. 21. Dn. Strauch. Dissert. ad Ius Justinian. 18.  
b. 12. diff. Schneidevv. ad §. sunt præterea Inst. d. Att. n. 9.

Exinde

Exinde liquet obligationem non perimi ; sed pro residuo  
adhuc firmam maniere per text. in l. un. §. 7. C. de R. U. A. Dn. Carp. P. IC. 37. D. 17. Schneiderii, d. l.

Hac in antecessum : & quod requisita attinet, brevitatis studio, hic generaliter dicta sint, ne in qualibet Subjecti specie eadem repetere necesse habeam. Nunc ipsa aggredienda

## TRACTATIO.

Ubi

### Beneficii Competentia Subjecta sistuntur.

Præliminaria transgressus ad interiora nunc venio. Quid circa Vocab, nec non rei Definitiones præmonendum occurrit, feci : nunc ordo à generationibus ad specialiora me perducit. Scilicet fert Animus eorum Catalogum, quibus Deductionis beneficium datur, exhibere ; & unde eodem gaudeant, comprobatum reddere. Sit ergo

#### TITULUS I.

### De His qui propter Sanguinis Conjunctionem non tenentur in Solidum.

Primum hujus catenæ membrum est eorum, qui sibi sanguinis nexus sunt devincti. Horum triplicem constituo ordinem : Ascendentium, Descendentium & Collateralium per

N. un.

II. In prima Classe sunt Parentes §. 38. d. Att. 1. 16. de re iud. usque in infinitum, quemadmodum & alias ubi de horum nomine agitur sic accipiendo sunt. Mys. ad §. sed & si quis d. Att. tam masculini quam feminini sexus per text. in l. 4. §. 2. d. injus voc. & secund. Glossam in l. 7. de re iud. atque ex qualibet causa Dn. Straub. Dissert. 28. §. II. Hinc etiam mater ex Tutelæ gestione debens Covarr. II. Var. Resol. I. n. 13. Sicuti enim Liberis propter naturalem

lem pietatem absque venia impetrata parentes in jus vocare non permittitur l. 4. & 6. d. in jus voc. ita propter eund. reverenter respectum eo minus eis conceditur in plus agere quam facere possunt l. 16. d. rejud. Semper enim honesta & sancta filio debet esse persona patris l. 1. l. 9. de Obsq. Parent. & Patr. pref. Accedit præterea, quod Liberi ad alendum parentes sunt obligati l. 5. §. 1. segg. d. agnosc. lib. Hinc dolofacit filius, Patrem in id conveniens, quod statim restituere oportet. arg. l. 17. §. 3. de R. J.

III. Sic quidem de Parentibus naturalibus & legitimis simul, quod in plus quam facere possunt, conveniendi non sunt, res expedita est. Sed quid de naturalibus & legitimis tantum dicendum? Hos eodem gaudere beneficio ut affirmem suggestit arg. l. 4. §. f. l. 6. 7. 8. d. in jus voc.

IV. An etiam post emancipationem adoptatoribus iterum largiendum? cum in his nullum subsit naturale Vinculum, quale est inter naturalem patrem & filium emancipatum, per emancipationem (qua jure noviori adoptatoribus iis tantum acquiritur, qui ascendentis aut alias personæ conjunctæ sunt) eandem extingui observantiam arbitror. arg. l. 12. de adopt.

V. Cum igitur rationes allatæ cesserint in iis, qui ex damnato coitu procrearunt, utpote qui ne quidem parentum nomine dignissimæ hæc taur. arg. §. 12. Inst. de Nupt. plane id beneficium istis denegandum statuo arg. amb. Licer. C. de Natural. Lib.

VI. Hic incidit dubium, quo ut me exonerem ē re esse videtur: objiciat quis: inter Patrem & Filium nulla nascitur obligatio: unde ergo effectus sine causa? An D: inter emancipatum & in sacris paternis constitutum? imo sic: sed non sufficit hæc Distinctio, potius dicendum nullam esse Reg. sine exceptione, & periculosum in jure quicquam certi definire, cum parum sit, quod non subverti possit. l. 202. de R. J.

Attendenda etiam est peculiorum Distinctio.  
Dividitur in Paganum & Militare: illud est vel Profectitum vel Adventilium: Hoc vel Castrense vel quasi castrense.

De Profectitio res in plano est: quippe in quo nullum jus habet alius; sed omnis proprietas patris est, qui per filium, ut pote

pote nude detinentem, possidet: Et licet à rationibus paternis non tamē ab ejus bonis separatum est. *Magnif. Dn. Praes*  
*Exerc. XX. lib. 64.*

Adventitium regulariter quoad proprietatem Filii est usus.  
fructus vero Patris, exceptis quibusdam casibus, v. *Dn. Praes*  
*Exerc. XII. lib. 5.*

Castrense & quasi tām quoad proprietatem & usumfr. ita  
filii est, ut pro patre f. in eo censetur arg. pr. *Inst. quib. non est per-*  
*miss. fac. Test. l. ult. C. cod.*

Ejus ergo causa cuius proprietas est filii utique oriri potest  
actio, nec ibi pater & filius pro una habentur persona.

VII. Vitricus & noverca an se se eadem exceptione contra  
prævigni petitionem tueri possint videndum est? Placet Ne-  
gativ, defendere arg. l. II. de Furt. juncta hac ratione: quod nullo  
sanguine se attingant, & non verē parentes sint; sed tantum  
eorum loco habeantur §. 7. de Nupt. add. Eckolt. ad Tit. ff. d. in jus  
voc. §. 6.

VIII. Quid autem de Ascendentium collateralibus v. g.:  
Patruo statuendum? Ratio & fundamentum hujus Competen-  
tia de promta sunt ex eo, quod quibus alimenta debentur, mul-  
to magis hoc beneficio succurendum sit initio, quam post vul-  
rata causam remedium querendum: Et vero in Ascenden-  
tium Collateralibus hæc ratio cessat, hinc cessare etiam puto  
hoc privilegiū genus. Quod etiam argumento, ab adverso pe-  
titio, magis probari potest. sc. arg. l. 27. §. 3. d. inoff. deducitur  
patruo non teneri ut alat fratris filium: Hinc quasi jure re-  
torsionis utentes ejusmodi personæ, per Consequentiam pri-  
vilegium isthoc eis poterunt denegare. Quæ causa etiam in  
Vitrico applicari potest. *juxta l. II. d. Neg. gest. quia ibi vitricus*  
*non præsumitur privignæ alimenta gratis præstuisse.*

IX. Secundus ordo est Descendentium pariter utriusque  
sexus in infutum: cum relatorum & correlatorum eadem sit ra-  
tio parentes Liberis quoq; id beneficii debere sequitur per mul-  
tas LL. ff. de alend. lib. & t.t. C. cod.

Hic casum fingere placet: Pater numeravit Filio sui juris  
centum aureos creditoris exsolvendos: Hic fortè in fodales

incidit, eorumque suasu cauponam intrat, & justo longius ibi  
moratus tandem discessurus observat peram aureis vacuam.  
Q. an hic filius, si egenus sit, Patri actione mandati in solidum  
teneatur? Dolus quidem facit ut quis hoc privilegium perdat:  
non item culpa: hinc non difficulter abnuerem, quin in  
tantum teneatur quantum facere potest. add. Dn. Preses Exerc.  
XXX, th. 76. ubi afferit quod filius alendus sit licet luxu con-  
sumerit bona.

X. Restat tertia Classis sanguine junctorum, sc. ex latere,  
quorum vix quenquam ultra primum gradum admittimus.  
Fratribus quidem Germanis & Sotoribus id beneficium conce-  
dendum esse suadet ratio l. 63. pro Soc. ubi ex analogia fraterni-  
tatis socii hoc afferitur: inde facile intelligitur, prius hoc jus  
fratribus fuisse datum, à quibus post propter similitudinem ad  
Socios translatum: Secus enim plus imagini quam veritati as-  
signaretur. Donell. ad §. sunt præterea, d. Art. n. 3. Dn. Brunnem. ad  
l. 63. pro Soc.

Idem assertum insuper ex alio fundamento probari pot-  
est: nimis pariter frater dolo facit, si exigit, quod es neces-  
sitate statim reddere debet: Debere enim locupletem fratrem  
alere egenam sororem & contra colligitur ex l. 13. §. ult. d. admi-  
nist. Tit. l. 1. §. 2. de Tuit. distrab. add. Gobofr. in not: add d. l. 5. d. agnosc.  
& alend. Lib. Lit. (4.) Mysing. ad §. sed & si quis d. Art.

Uni lateralibus vero hoc beneficium denegat Glossa in d. l.  
63. pro Soc. & quicquid tamen videtur affirmativa sententia: nam si  
stricto jure rem examinare ne quidem bilateralibus quid debi-  
ti esse remittendum deprehenderes: Cum ergo omnis hæc in-  
dulgentia in humanitate sit fundata, humanitatis ratio idem  
insinuat.

Ast Comprivignorum Considerationem hic esse haben-  
dam haud video: quia inter utriusque Conjugis Cognatos  
nulla datur cognatio l. 4. §. 3. de Grad.

TITU-

## TITULUS II.

De His qui Conjunctionis Causa ex Matrimonio deducere possunt ne egeant.

**A**lter Conjunctionis articulus constat personis diversarum Cognitionum per nuptiarum copulam sibi devinctis.

Earundem proximae sunt Maritus & uxor : remotiori loco positi utriusque conjugis parentes : tandem Conjugiorum finis, Liberi : de quibus quatenus cum parentibus de hoc Competentia beneficio certant præ. Tit. acut.

II. Quamvis ad Nuptiarum essentiam dos non requiratur, sed illa absque hac omnino salvæ esse possint N.74. c.4. Solet tamen iis dos accedere, ad sustinenda matrimonii onera l.76. d. jur. dor.

Provenit autem ea vel à Patre uxoris ut tali aliove ab eo Ascendente, quæ dicitur Profectitia l.s. seqq. d. jur. dor. Vel ab Extraneo l.33. d. jur. dor. quæ Adventitia nuncupatur, vel denique ab ipsa muliere l.46. s.1. dejur. dor. quæ eodem nomine, generaliter accepto, quod non à patre proficiscatur, indigitatur, licet ratione mulieris talis non sit Dn. Praes Exerc. XXX. th.4.

III. Quia vero non semper cum promissione dotis ipsa constitutio coincidit, sed traditio nonnunquam differtur, non potest non fieri, quin contra morosum promissorem detur Actio.

Fit autem promissio vel ultima voluntate l.29. l.48. l.76. d. jur. dor. vel actu inter vivos

Quæ ex testamento debetur iisdem petitur actionibus, quibus res à defuncto relictæ alias solent exigi.

Promissio inter vivos olim fiebat per dictiōnem, verbis solennibus, nulla interrogatione præcedente. Dn. Praes Exerc. XXX. th.7. denique per pactum aut etiam nudam pollicitationem. l.6. C. d. dor. promissi. unde veniebat Condicio d. Exerc. th.12. Qui vero cautius sibi providebant, stipulabantur eam & acquirabant

rebant ex stipulatu actionem. Constitutum denique ut semper promissioni dotis inesset stipulatio & daretur pro ea exigenda actio ex stipulatu l. un. §. 1. d. R. U. A. d. Exercit. th. 7. & 10.

V. Est quidem hæc dotis exactio ex earum numero, qui bus deductionis exceptionem opponere licet; sed non cuivis eam promittent.

Socer quando à marito filiæ dotis causa convenitur, dist. est aut conventio instituitur stante matrimonio aut eo dissoluto: illo casu privilegium deductionis ex æquitate competit per l. 17. sol. matr. l. pen. d. jur. dot. quia parentis locum obtinet l. 16. solut. matr. Hoc verò casu damnatur in solidum l. 21. seq. pr. d. re jud. quia soluto matrimonio cessat affinitas d. Exercit. th. 34. Dn. Brunnen. ad l. 21. ff. d. jur. dot.

Quæritur cujus sit periculum si pater mulieris dotem promissam non possit prestatre, ideo quod facultatibus lapsus sit? R. per l. 33. d. jur. dot. Viro id non esse periculo.

Sed quid si quidam, quo filiæ conditionem in nubendo possit reddere meliorem, dotis tantam pollicetur summam, quam postea solvere non posset? aut lapsus est invidia fortunæ; aut verò tempore promissionis jam sciens non sicut solvendo: priori modo committeratione dignus est; posteriori ut dulosus in solidum tenetur. l. pen. d. jur. dot. add. Schneidev. ad §. it. si de dote. Inst. d. Alt. n. ult.

Extranus qui dotem promisit, si sc. convenitur à marito nulla l. prohibetur in solidum conveniri l. pen. de Jur. dot. l. 41. pr. de re jud. quippe cessante ex affinitate competentia, nulla alia superest beneficij ratio, & licet forte ex liberalitate promiserit mulieri dotem, marito tamen debet ex causa onerosa, sc. propter matrimonii onera sustinenda & in solidum est condemnandus l. 41. de re jud. add. Ds. L. Daniel. Beyer. Fautor meus in Justinian. Controv. Exercit. 19. th. ult. & maritus hoc casu non minus dotem potest exigere in solidum, quam is, cui donator à doctario delegatus, rem donatam dare promisit. l. 43. §. f. de donat. l. pen. d. Novat. add. Philipp. Matib. ad l. 28. d. R. J.

Fingamus quem promisisse mulieri dotem, sed antequam mari-

maritus eam exigeret, facultatibus defectum. Q. an mulier in repetitione dotis sit obstrictus conjux propter moram in exi-  
gendo commissam? ille aut ex necessitate promisit cotem &  
sic tenetur maritus: aut vero ex voluntate; atque hoc modo  
objicitur mulieri doli exceptio, cum si ipsa promissorem con-  
venisset, opponere iste huic potuisset beneficium Competen-  
tia l. 33. d. jur. dot. Dn. Pras. Evolut. ad Exerc. XXX. th. 54.

Restat exceptionis moderatio in dotis petitione ab ipsa  
muliere conjugi constituta: in ejus persona ut hoc servemus  
æquitatis suggerit ratio l. 20. d. rejud. Eo tamen beneficio in-  
dignam se reddit si dolosè locupletem se venditavit, & ea frau-  
de maritum in thorum pellexit. arg. l. penult. d. jur. dot. add. Schnei-  
der. ad s. ii. si de dote. n. ult. Cujus etiam est periculum si for-  
tunis sit lapsa, nec marito damno cedere potest per rationem in  
l. 33. d. jur. dot.

VI. Quoniam vero nihil tam firmum est, quod non ali-  
quando dissolvatur, certum est matrimonii vinculum eidem  
quoque esse obnoxium discidio. Et quidem antiquis tempo-  
ribus non modo utriusque consensu l. 9. C. d. divorc. N. 22. c. 4.  
sed etiam alterutrius voluntate divortere licebat. d. Exerc. XXX,  
th. 39.

Christiani vero Imperatores altera parte invita nolebant  
admittere divorcium, absque causis quas certo numero defi-  
nit Theodosius Junior l. 8. C. de repud. Justinianus vero easdem  
coarctavit. N. 22. c. 15. N. 17. c. 8. § 9. imò ut ne quidem mutuo  
consensu sine justa causa rescindatur matrimonium planè pro-  
hibuit.

Tandem Canones matrimonii dissolutionem penitus in-  
terdixerunt. c. f. de Transall.

Hodiernis moribus tribus modis se junguntur Conjuges.  
(1.) Morte qua matrimonium definit (2.) Ob impotentiam alt-  
iumve morbum sonicum, si ante matrimonium defectus ad-  
fuerit. Dn. Carp. Jpr. Conf. L. II. D. 202. ubi declaratur nullum  
(3.) Propter violatam fidem matrimonialem, aliamve singula-  
rem rationem, ubi dissolvitur, vel quod vinculum; vel tantum  
quoad mensam et thorum. d. Exerc. th. 40. § 41.

VII. Si igitur ejusmodi casus contigerit, quia dos sine matrimonio esse non potest l. 3. de jur. dot. repertur.

Quando ergo soluto matrimonio convenitur Maritus, videndum est probe à quo conveniatur.

Ratione dotis profectitia (mortua muliere aut, cui ipsa causam dedit, divortio dimissâ) gener convenitur à locero in tantum quatenus facere potest l. un. §. 7. C. d. R. U. A.

Item si ipsa mulier de dote quam ipsa constituit. (d. Exere. th. 4.) aut profectitia, morte aut alio modo patris potestate solutâ d. Exere. XXX. th. 50. in judicio agit, placet eatenus maritum condemnari quatenus facere potest §. 37. d. Att. Idem est si alius à muliere jus habens agit l. 36. solut. matr. veluti in bonorum publicatione Fiscus, ne in perniciem mariti mulier punita sit d. l. 36. solut. matr.

Propter adventitiam verò conventus ab Extraneo, qui sibi dotis repetitionem stipulatus erat per d. l. un. §. 13. quatenus hoc gaudeat beneficio expendendum: aut enim certam quantitatem seu summam restituere promisit, & non excipere potest: aut verò simpliciter dotem reddere fidem dedit, atque hoc casu deducere sibi integrum est ne egeat, quia ultra hoc promisso non videtur. Schneidev. ad §. item si de dote d. Att.

Quod si ipse dedit causam matrimonii solvendi suo jure cedit l. 52. d. rejud.

Si verò cum procuratore mariti de dote actum fuerit: si quidem vivo marito, condemnatio fiat in quantum facere potest: nam & defensor mariti in id quod ille facere potest damnatur: marito verò mortuo in solidum. l. 23. d. rejud.

VIII. Verum dantur etiam casus ubi constante matrimonio nihilominus dos repetitur sc. ad inopiam vergente marito. l. 24. solut. matr. Hoc si ex infortunio accidat sibi beneficio competentia consulere potest: si verò sua culpa, non æque. Quotamen casu animus profundendi non præsumitur, quia qui liber habetur bonus, donec probetur contrarium; sed mulier, ut dicit Paul. de Castr. in l. 18. §. 1. solut. matr. per testes probare debet se audivisse à marito, quod velit dilapidare quicquid habet, ut uxor nihil inveniat add. Schneidev. ad d. §. n. 13.

Hic

Hic queritur I. an si sciens obzato nupserit mulier possit  
repetere dotem? Negativam tenet Dn. Praes Exercit. XXX. th. 56.  
Affirmativam Dn. Strauch. Dissert. 3. §. 9. rationes pro utraque  
affert Gail. II. O. 48. sed meum non est controversias inter tantos  
Viros agitatas decidere.

Q. II. An hoc Casu jus prælationis habeat? N. Dn.  
Strauch. d. l. quia censetur approbasse mores mariti l. 41. d.  
jur. dot.

Controvertitur autem an si res dotales exstant, (vel his  
quidem venditis alia pro pecunia ex eis redacta sunt coemtae)  
maritus actione in rem conventus habeat beneficium compe-  
tentia? Communiter negant, quod hoc ipso, dum res extan-  
tes reddere recusat, dolum committat. Schneiderv. ad d. §. n. 5.  
Mysing. ibid. n. 9. Limitationem ex Zang. d. Exerc. p. 2. c. 15. n. 23.  
hanc affert Dn. Brunnem. ad L. un. d. R. II. A. quod non teneatur  
si alia bona nulla habeat.

X. Ceterum heredibus mariti extraneis non datur hoc  
beneficium l. 24. l. 25. l. 41. d. re jud. Filiis tamen ex eodem marito  
eademque uxore natis competit l. 18. pr. solut. matr. Verum ad  
nepotes & remotiores non est extendendum quia d. l. 18. de Fi-  
liis loquitur, qua appellatione non veniunt Nepotes l. 220. d. V.  
S. §. 5. Inst. qui Tef. Tit. dari. posse.

XI. Ex qua ratione hoc privilegium uxoris patri compe-  
tit, quando ab eo dos exigitur; ex eadem causa Mariti parenti  
subvenitur, quando cum eo filii nomine ad restitutionem agi-  
tur, aut is ob donationem propter nuptias convenitur. Statu-  
tum enim in uno censetur quoq; statutum in altero.

Hactenus dictum quid circa dotis materiam obtineat,  
restat ut quid in aliis negotiis inter conjuges usuveniat vi-  
deamus.

Donations quidem inter Virum & Uxorem sunt prohi-  
bitæ, & ipso jure nullæ, nec rerum donatarum dominium trans-  
fertur l. 5. §. f. d. donat. inter V. & U. ne conjugalis amor venalis sit,  
sed animis potius estimetur l. 3. d. s. non tamen contractus sunt  
interdicti, sed validè subsistunt. Hinc maritus stante matrimo-  
nio mulieri ex conventione obligatus, licet dissoluto eo con-  
venia-

veniatur, deductionis privilegio gaudet l. 20. d. & iud. secus si agatur propter debitum ex contractu post matrimonium inito Schneidev. ad §. item si de dote d. Act. n. 3.

XIII. Ultimò querere volupe est an etiam hoc privilegium inter sponsum & sponsam locum habeat? cum consensus non concubitus faciat matrimonium juxta l. 30. d. R. J. non dubito quin observantia & fides matrimonialis hic adsit ob cuius respectum merito affirmativa tenenda.

### TITULUS III.

#### De His qui propter Societatis contractum in quod facere possunt condemnantur.

Conjunctionem constituimus trimembrem. Consanguinitatis & matrimonii vinculo copulatam vidimus: nunc continua serie ad eam venimus quam negotii necessitas coadunat Vid. Donell. ad §. sunt præterea d. Act.

II. Ut Reipubl. finis, rerum omnium sufficientia, obtineri queat, commerciorum usus est introductus: iste autem quibus promoveatur, partim communi Gentium jure; partim proprio seu positivo certi determinati fuere contrahendi modi: Hoc contractus verbalis & chirographarius; illo ceteri contractus omnes.

Hinc factum ut non solum ad rem competant Actiones, quarum fundamentum nulla innititur obligatione, & quem iis experimur nullo jure nobis obligatus est, movemus tamen ei de aliqua re, quam possidet, controversiam §. 1. Inst. de Act. Sed etiam ad Personam, qua suo facto se se nobis obstinxit. ibid. l. 3. l. 25. d. O. & A.

Cum vero omnes omnium contractuum species hic recensere nec instituti, nec brevitatis ratio patiatur, reliquis missis ex quartâ Contractum propriorum nominatorum Classe, Consensualium sc. Societatem nostram facimus.

Di-

Dicuntur hi consensuales, non quasi ab aliis consensus excludatur, sed quia ad reliquorum formam præter consensum requiruntur aut res; aut verba solennia; aut *Littera*: Horum vero Essentia specifica solo consensu absolvitur, determinato quidem ad certam rem. *l. 8. d. contrah. emt.* præcio tamen quoad ipsam obligandi vim ab ipsa traditione. *Dn. Praes. Exercit. XVI. ob. 3. f.*

II. Dividitur autem *Societas* quod alia sit universalis; alia particularis. *l. 5. l. 63. pro Soc.* Illa est vel specialiter talis, omnium bonorum undecunque affluentum *l. 3. §. 1. pro Soc.* Vel simpliciter contracta, continens Universa, quæ ex quæstū proveniunt *l. 7. pro Soc.* Hæc vel unius plurimve Negotiationum sigillatum tamen consideratarum *l. 5. l. 52. §. 4. pro Soc. l. 5. l. 15. d. tribut. ac. vel unius rei *l. 5. pr. l. 52. §. 6. pro Soc.* Vid. Magnif. *Dn. Praes. Exerc. XXII. th. 21.**

III. Ex hoc Contractu mutua Sociorum utrinque principalis seu directa nascitur obligatio, & tanta requiritur fidei cunctio, ut ob dolum condemnatus incurrat infamiae labem *l. 1. d. his qui notant. inf. §. 2. Inst. de pœn. tem. litig.*

Insuper familiaritas ibi frequens fraternitatis imaginem introduxit in consortium, quæ præter Fidelitatem commiserationem quoque meretur: illa habet munus suum in acquirendo & communicando lucro; Hæc lapsis facultatibus manum porrigit adjutricem.

Qua de causa non convenit ut socius socio non solvendo facto reliquam substantiam eripiat; multo minus ut misenum in carcерem deturbet *l. 63. pro Soc.*

Et hoc procedit non tantum quando pro socio; sed etiam si alia actione convenitur: modo fiat occasione societatis & agatur ex contractu inito durante societate *Schneidevv. ad §. sed & si quis d. ac. Myning. adeund. §.*

IV. Id vero quod facere potest socius quemadmodum extimandum sit queritur? & placuit non debere deduci ex alienum, nisi forte ex societate ipsa debeatur. *d. l. 63. §. 3. pro Soc.*

V. Hic instituitur quæstio an eodem beneficio sit afficiendus

endus socius particularis? aff. per l. 63. pr. pro Soc. add. Dn. Brunnem. ad b. l.

Dubium movet l. 6. d. rejud. quod ibi solius universalis societatis fiat mentio. Sed resp. unius positio non est alterius exclusio. Universalis ibi fit mentio, quia in ea latius hoc beneficium patet. Dn. Pres. Evolut. ad Exerc. XXII. th. 37.

Non tamen displicet restrictio Schneidevini ad l. sed & si quis d. att. quod sc. talis socius privilegiatus tum demum sit quando in causa negotiationis seu societatis convenitur. add. Mynsing. ad eund. §. Ita ut causa magis, quam personæ tributum videatur. Dn. L. Daniel Beyer. Justinian. Controvers. Exercit. 19. tb. II.

VI. Porro queritur an hac Exceptione se munire possit socius si conveniatur & probetur quod occasione acquirendi non sit usus? Imputet sibi socius, quod diutius cum eo in societate mansit, quem animadvertisit non satis industrium §. f. d. Soc. sufficit quod ipsi non succurravit, si perdidit & profusè erogavit. Dn. Brunnem. ad d. l. 63. pro Soc.

VII. Si cum tres socii essent, egerit cum uno ex sociis socius, & partem suam integrum sit consecutus: deinde alius socius cum eodem agat, & partem integrum consequi non possit, quia facere solidum non potest: An hic qui minus consecutus est, cum eo agere possit, qui solidum accepit, ad communicandas inter eos, i. e. exæquandas partes, quasi iniquum sit, ex eadem societate alium plus alium minus consequi? Sed magis est ut pro socio actione consequi possit, ut utriusq; portio exæqueretur. Quæ sententia habet æquitatem l. 63. §. s. pro Soc. add. Dn. Brunnem. ad b. l.

#### TITULUS IV.

#### De His quibus ex gratitudine Privilegium

#### Competentiæ datur.

SED ut nihil antiquitatis penitus ignoretur §. i. Inst. d. Testam. Ord. atque methodo præscriptæ fiat satis, ordo postulat post eos, qui propter conjunctionem deductionis beneficio gaudent,

dent, illos, quibus gratitudinis ergo idem competit; fuisse, & obsoletam quidem, attamen hodienum in similibus, propter conformitatem, aliquem usum habentem materiam revocare.

II. Quanquam omnes homines ab initio liberi nascebantur, nec erat nota manumissio, cum servitus esset incognita: Postquam jure gentium servitus in genuitatem invasit, secutum est beneficium manumissionis: & cum jure communi omnes homines apppellarentur; jure Gentium tria genera hominum esse cœperunt: Liberi & his contrarium servi et tertium genus libertini, qui desierant esse servi pr. *Inst. de Libertin.*

III. Quoniam igitur libertas inæstimabilis res est §. 7. *Inst. qui ex quib. caus. manumit.* & omnibus rebus favorabilior l. 122. d. R. J. servitus autem mortalitatí fere comparatur l. 209. d. R. J. & servi, quod Jus Civ. attiner, pro nullis habentur l. 32. cod. atque brutis comparantur pr. & §§. seqq. *Inst. de L. Aqnil.* merito libertus erga patronum suum pro tanto in se collato beneficio se gratum gerit.

IV. Quando ergo Patronus liberto suo debito obstrictus est, non in plus tenetur quam facere potest l. 17. de *rejud.* Incumbit enim ipsi inopia presso Patrono alimenta præstare l. 5. §. 18. d. agnosc. & alend. Liber.

Nec minorem reverentiam conjugi liberisque patroni eum exhibere oportet arg. l. 3. d. *injus. voc.* l. 5. §. 20. de agnosc. liber.

V. Cum etiam è contrario Patroni officium sit Liberto pro fidilitate tantisque operis præstis subvenire, quando le aliter sustentare nescit, & quum est, ut in exigendo debito mitius procedat, ita ut liberto remaneat ex quo cum suis vitam ducere possit. l. 6. d. agnosc. & alend. Liber. Schneidevv. ad §. sed & si quis *Inst. d. Act.*

Ingratitudinis verò convictus Libertus hoc privilegio cedit. Vid. Mynsing. ad §. sed & si quis d. Act. n. 5.

VI. Utut jam apud Romanos successu temporis ad humilitatis rationem fuerit redactum servitus jugum, adeo ut moribus inde, maxime per Christianismum excutitis, servitus pla-

ne sublata sit: quia ad hostes coercendos hoc duriori remedio amplius non erat opus, utpote (exceptis Barbaris) mansuetiores ingenii; nec capientes, & que moratores, eodem uti voluerunt: suat tamen nihilominus hodienum reliqua quedam antiquarum servitutis rudera.

VII. Sic Servis quodammodo similes sunt in quibusdam locis homines proprii, Eigene Leute/ Eigengehörige/ Lassen, qui etiam quoad operas & bona sua sunt Dominorum: ab his alienari possunt, ut & judicis petitoris & possessoriis peti, imo apprehendi, includi (Dn. Praes. Exerc. XLIX. th. 16.) castigari, nec ea conditione liberantur nisi Dominorum voluntate, qui eos aliquando, datâ pecunia, manumittunt. Dn. Praes. Exerc. III. th. 22.23. Exerc. XL. th. 72. seqq.

Si ergo Dominus ejusmodi homini proprio Libertatem largitur, nullus dubito quin huic patrono suo ad incitas redactio deductionis beneficium concedere obstrictus sit: Ubi enim est identitas rationis; ibi eadem est consequentia.

VIII. Videamus an hoc etiam quodammodo ad Dominum Feudi & Vasallum possit applicari? Vasallus Domino juramento fidelitatis obstrictus est; ad servitium feudalia praestanda obligatus; feloriam committit ob ingratitudinem; operam domino debet ferre si in vita periculo versatur: Viciism dominus Vasallo fidem debet, licet non juratam, Dn. Praes. Synt. J. F. C. II. §. V. atque ex quibus causis Vasallus Feudo; ex iisdem Senior domino directo privatur: Dn. Praes. Synt. J. F. C. IX. p. 10. C. XV. §. VII. VIII. IX. Borcholt. ad Confuet. FF. C. VIII. n. 133. cur ergo non & que in deducendo ne egeant sibi invicem indulgere debeant non video. Vid. Dn. Strauch. Dissert. 28 §. n. f. Schneidev. ad §. sed & si quis d. Art. Nam inimicus capitalis dicitur, qui controversiam alicui de omnibus bonis, aut majori eorum parte movet, non secus ac is qui vita insidiatur, cum pecunia vita hominis & alter sanguis esse existimetur. Vid. Tiraquell. de Akkilis. C. 31. n. 280.

TIT U-

**TITULUS V.**

**De His qui ob bene merita gaudent  
Beneficio Deductionis.**

**Q** Vibus privatim ob beneficia gratitudo debetur præced. Tit.  
vidimus, hos excipiunt quibus Respubl. eandem, ob bene  
merita, exhibet.

II. Militantes sc. quorum tanta censetur dignitas, ut qui  
in acie pro Republ. ceciderunt, in perpetuum per gloriam vi-  
vere intelligantur, pr. Inst. de Excus Tat.

III. Non tamē his solis omnis honor tribuendus qui gla-  
dio & ensē pugnant; sed non minor assignandus iis qui cura  
atque consilio Rēpublicam muniunt: Nam non minus hī  
humano generi provident, quam qui præliis atque vulneribus  
patriam parentesque, tuentur. l.14. C.d. Adu. divers. Judicior. & par-  
va sunt foris arma, nīsi est consilium domi Cic. I. off. num. 76.  
Add. id. Cic. ibid. num. 74. seqq. ubi arg. in utramq; partem.

VI. Patet ex hisce militia in Togatam & Sagatam distri-  
butio, nec non utriusque Sectatorum officia exinde clarent.

Hic Quæstio movet uter ordo præferendus sit? Contro-  
versiam communiter sic decidunt: quod in astibus bellicis  
præferendus sit sagatus: & contra. Vid. Gai. II. O. 118. n. 15. Beccer.  
Synops. J.P. L 3. c. 11. n. 14. Alter Lipsius, quem vide L. 4. c. 2. §. 1. Not. It.  
L. 3. c. 1. §. 9. L. 5. c. 1. §. 2.

V. Ne itaque illi sua officia gratis se præstisſe conque-  
ri necesse habeant, LL pene multa ipsis impertintur Privi-  
legia.

VI. Sed ut secundum supra allata distictionem pro-  
cedam, placet prius videre, quid ad milites sagatos hic at-  
tineat.

Hic non modo ubi paganus juris scrupulositati seu alliga-  
tus est, magis arma quam LL. facire præsumuntur: Verum et-  
iam ære alieno onerati præ iis relaxationem sentiunt, ita ut in  
solidum conventi, eatenus qua facere possunt solvere cogan-  
tur,

tur l.6. pr. l.18. d. re jud. Hoc maximè notandum quod si duplex peculium habent paganum & castrense, de hoc creditoribus non-Castrensis non nisi in subsidium teneantur l.4. C. d. ex-  
cut. rei jud. & ibi Gorlofr. in Not. Lit. (m.) ita tamen ut quoque in  
hoc beneficium competentia habeant. l.7. d. pec. costr. l.6. l.18. d.  
re jud.

Pertinet huc Quæstio: an miles militi debens non in plus quam facere potest teneatur? R. Privilegiatus contra xq; pri-  
vilegiatum non utitur suo privilegio.

VII. Quia verò æquius est Favores ampliare quam restrin-  
gere: Hinc etiam hoc privilegium adeò extensem est ut quo-  
que Nobiles, Barones, Comites alique illustres ejus sint facti  
participes Dn. Carpz. P.I. C.32. D. 15. 18. & ex eo Philipp. L. IV. Ec-  
log. 6o. n. 10.

VIII. Cum verò Doctorali dignitate ornatos nobilitatis  
jura ominò deceant. Vid. Braultacht. Epit. J. Publ. l.4. c. 5. num. 16.  
Springer. Jpr. Publ. p. m. 40. m. merito etiam hōc & ceteris benefi-  
ciis, aliis Nobilibus competentibus, sunt digni. Dn. Carpz. P.I. C.  
32. D. 17.

IX. Et quoniam Advocatorum munus etiam laudabile est  
l.4. C. d. Advoc. div. Judic. licet sine gradu: cum non nisi inte-  
græ Famæ ad officium hoc admittantur arg. l.1. §.8. de post. ut po-  
te quorum opera non minus generi humano proficia est; quam  
si armis patriam ipsi tuerentur; quippe qui gloriozæ vocis mu-  
nimine confisi laborantium spem, Vitam & posteros defendunt  
l.4. C. d. Advoc. div. judicior. non sunt defraudandi ejusmodi pri-  
vilegio: Dn. Carpz. d.l. cum & aliis principalibus premiis fruan-  
tur l.6. C. d. t. ubi addit. Bl. Custodiæ portarum urbis excubia-  
rumque immunem esse debere Advocatum, qui occupatus cau-  
sis agendis: servarique illud religiosissime in urbibus limita-  
neis. Et quod etiam nostris moribus nullum personale munus  
subire cogantur dicit Perez. in C. d. t. n. 4. add. Job. Brandes d. Vera &  
simulata J. Ctor. Philosph. c. 4.

X. Denique tandem toti Clericorum Choro & Scholari-  
um numero idem beneficium comm. Intpp. attribuunt. Vid. Dn.  
Carpz. P.I. C.32. D.18. dissent. Cæppen. Usupr. Inst. Imper. Lib. II. O. 95. n. 4.

Titu-

## TITULUS VI.

De His quibus Commiserationis ergo  
quantum facere possunt ad-  
judicatur.

Præterea in hac tenus recensitorum catalogum referri me-  
rentur, quibus commiserationis in situ cum bonis qua-  
si ipsa vita erienda non est. Afflictis enim non deber-  
addi afflictio, cum satis suo malo puniantur. pr. L. 14. d. off.  
*Pref.*

II. Tales autem existunt, certo modo filiusf. & is qui bo-  
nis cessit.

III. Quoniam qui quid Filiusf. acquirebat ex contractu,  
Patri olim accedebat, misericordia motus Prætor emancipato,  
exhæreditate, vel etiam in minima (*vid. Dn. Brunnem. ad L. 2.*  
*quod cum eo. & Got. off. in not. ibid. Lit. (b.)* hereditatis parte insti-  
tuto aut abstinenti a bonis paternis sua æquitate occurtere vo-  
luit, & contra eum, ex ejusmodi obligatione conventum, ac-  
tionem in id quod facere potest, dedit. l. 2. segg. *quod cum eo*  
*qui in aliena potest: est negot. gest. se dic.*

IV. Et quidem hic Favor ita amplius est, ut licet Filiusf.  
patre vivo obligatus & conventus fuerit, in eum tamen eman-  
cipatum vel exhæreditatum abstinentem postea judicati actio  
in id quod facere potest danda est. l. 1. pr. *quod cum eo.*

Si autem statim post contractum emanciparetur, *fraus sub-*  
*esse præsumeretur. Paul. Paris. Vol. Conf. 94. n. 48.*

V. Quæritur si filio exhæredato ex SCto Trebellian. here-  
ditas paterna restitura sit? non debet in quantum facere pot-  
est condemnari, sed in solidum, quia effectu quodammodo he-  
res est l. 5. §. 1. *quod cum eo.*

Sed si è contrario coactus immiscuerit se ut restituat here-  
ditatem? perinde observandum ac si se abstinuissest d. l. 5. §. 2.

VI. Sed an etiam temporis debeat haberi ratio: ut si quidem ex continentia cum Filio agatur, detur actio in id quod fa-  
cere

cere potest? Et mihi, inquit Ulpianus, videtur rationem habendam esse l.4. §.4. quod cum eo qui in al. potest.

VII. Sed an hic detraхи debet quod aliis debetur tractari potest? Et si quidem sint Creditores, qui cum esset alienx potestatis, cum eo contraxerunt, recte dicetur occupantis esse meliorem Conditionem: nisi si quis privilegiarius veniat: hujus enim non sine ratione prioris ratio habebitur: quod si qui sunt, qui postquam sui juris factus est, cum eo contraxerunt, puto horum rationem habendam l.3. quod cum eo.

VIII. Cum eo, qui Creditoribus suis bonis cessit, si postea aliquid acquisierit, quod idoneum emolumendum habeat, ex integrō in id quod facere potest, creditores experiuntur: in humānum enim erat, spoliatum fortunis suis in solidum damnari.

§.5. de Act. IX. Sed ne nimis cito filum abrumpam, & quo clarius appareat, ubi hoc beneficium debitoribus, qui bonis cesserunt, competit, de Cessione bonorum, ad quam, omni alio destituit auxilio, quasi ad sacram Anchoram confugiunt, quādam hic proferre animus est.

X. Dicitur cesso bonorum privilegium, quod datur iis, qui casu aut culpa levi in paupertatem incident, ut cedendo bonis à molestiis & penis liberentur: sans Verba Dn. Brunnen. ad ad Rubr. ff. d. cess. bon.

XI. Cum igitur privilegium sit, & beneficium l.1. C. qui bon. ced. poss. licet flebile l.7. cod. sequitur invito istud non posse obtrudi l.2. cod. quando creditoribus juxta LL. satisfacere est paratus, licet non omnia in parata pecunia offerat: nam loco pecuniax habet beneficium donationis in solutum. Dn. Brunnen. ad Rabr. ff. de cess. bon. Dn. Mev. p. II. Decis. 328. petentibus vero debitoribus l. pen. C. b. regulariter omnibus in debitis civilibus, exceptis iis, qui habentur in l.5. C. b. Vid. Perez. ib. n. 7. datur: licet juraverint se esse soluturos Hahn ad Wesenb. d. cess. bon. num. 3. dummodo absit animus defraudandi creditores. Vid. Dn. Praes. Exercit. XLIV. th. 29. jung. Mynsing. ad §. f.d. Act. etiam ex contractu sum silico. §.8. de Societat.

Non item debitoribus ex delicto: Sed qui non habet in ære luat

Iuat in corpore l.f.d. injur. voc. l.i. de pœn. ex quo colligitur, quod ex causa injuriarum condemnatus ad pœnam pecuniariam, etiamsi bonis cedere malit, quam pœnam solvere, non sit admittendus. Mys. cit. loc. Condemnatus (sunt verba Fabri ad C. L. VII. Tit. XXXI. Def. I.) ad pœnam pecuniariam, quod alteri sursum facient operam dedisse diceretur, cum appellandi causam iustam haberet, propterea quod ex actis litis constabat open ab eo datum non esse, iudicio tamen acquieceret: Accusator vero, quasi à minima condemnatione appellaverat, cum Senatus ex appellatione cognosceret, bene judicatum dixerat, qui utiq. sententiam fuerat emendaturus, si ab ea quoq; reus provocasset. Postmodum Accusatore solutionem urgente, reus cum non haberet unde solveret, beneficium L. Julie implorat, ut ad bonorum cessionem admitteretur. Obstat D. Emanuclis Phileberti Edictum videbatur, quo cautum est ut adversus condemnationem, ex delicto factam, bonis cedere non licet, ne ex impunitate detur delinquendi occasio. Senatus tamen manifesta equitate motus pronunciavit, juris benef. tam favorabili locum esse debere, propterea, quod quamvis sententia in rem judicatam transiisset, pœna tamen illa pecunaria non tam ex delicto, quod revera nullum admissum erat, quam ex iudicato deberetur. Néq; id impugnare videbatur rei iudicata autoritatem, cum non tam de illo queri oporteret, an pœna deberetur, quam utrum hoc vel illo modo i. e. numeratione, an bonorum cessione solveretur. Hæc ille.

XII. Hic queritur an quis propter Collectarum opus cedere bonis possit. D. aut vult cedere ut istud imminens à se devolveret in alium; aut jam oneratus eo se liberet: de posterioriori casu audiendus est: juxta l.s. C. qui bon. ced. poss. add. Dn. Brunnem. ad h.l.

XIII. Si verò quem pœnitet bonis cessisse, potest defendendo se consequi ne bona ejus veneant l.s. de cess. bon. nec enim qui bonis suis cessit ante rerum venditionem Bonis suis caret, si paratus fuerit se defendere, bona ejus non veneunt. l.3. d. cess. bon.

XIV. Sed si creditores dissentiant an debitori induciae dan-  
dx, an vero cessio bonorum accipienda? R. ex l. ult. C. qui bon.  
ced. poss. causa vel ex cumulo debiti vel numero creditorum de-  
cidenda: ut si unius creditoris debitum ceterorum antecellat,  
eius

ejus obtineat sententia. Si plures Creditores sive par sive discrepans sit eorum numerus, ex diversis autem quantitatibus, etiam nunc amplior debiti cumulus minori summæ prefertur: pari autem quantitate debiti inventa; dispari vero Creditorum numero: ita ut quod pluribus placeat hoc statuatur. Si vero undique æqualitas emergat, tam debiti quam numeri creditorum tunc eos anteponi, qui ad humaniorem declinant sententiam, non cessionem exigentes, sed Inducias. add. Dn. Brunnem, ad b. l.

Hic incidit quæstio: an, si mercator Fortunis lapsus adversus Creditores suos inducias moratoria impetraverit, ejus debitores, licet ipsis non indulxerint tales contra eum iisdem, quibus ipse utitur, uti possint? Sic videtur afferendum: quia quod quis juris in alterum statuerit, ipse eodem jure utatur: quam opinionem etiam tenet Dn. Carpz. P. III. C. XXXIIIX. D. I. n. 17. Verum æquior est contraria sententia: quia in hunc finem dilatio concessa, ut interim de modis solvendi cogitare possit debitor privilegiatus: quod etiam Principis indulgentis voluntati non adversatur. Accedit quod Edicti retorsio valeat tantum in jure iniquo, quali hic privilegiatus debitor non innititur: sed justo & in jure fundato arg. l. 7. C. d. precib. Imp. off. l. f. C. qui bon. eed. poss. vid. Cujac. Obs. Lib. II. c. 10. add. Guilielm. Anton. Freudenb. Tr. de Rescript. Morat. Concl. 52. ubi hanc sententiam rationibus juris & aquitati conformibus sufficienter probat: juxta quam etiam responsum est in præfustri Facultate Juridica Jenensi Mens. Septemb. Ao. 1678. consilenti N. N. Hat J. und H. im Neu-Jahrs Markt dieses Jahres falliret / und sind ihren Gläubigern über N. N. Thaler schuldig verblieben. Ob nun wol dieser J. und Consort nicht beybringen können / daß sie ohne ihre Schuld in Unglück gerathen / so haben sie doch ein genädigst Rescript sub dato den 12. Junii jüngst hin dieses Inhalts erhalten:

„Dass weder auf J. und H. Person und Güter kein fernerer Arrest oder Execution gestattet werden sollte. Und haben hierauf gedachter J. H. unlängst wegen N. N. Thaler einen Summarischen Execution Process wieder euch angestellt / und wollen haben / daß ihr ihnen alsbald dieses Capital nebenst denen Zinsen und Un-

Unkosten ohne einige Frist bezahlen sollet. Ob nun wöl etliche Rechts-Lehrer der Meinung sind / daß das Jus Retorsionis in gegenwärtigem Fall statt habe / und folglich I. und H. das wieder ihre Creditores erhaltenes Rescript auch wieder sich selbst gelten zu lassen gehalten / dennoch aber und dieweil dergleichen Rescripta und Privilegia, quæ certæ personæ concessa, aufz andere so in solchem Rescript nicht benennt / nicht zu extendiren sind / sonderlich wenn dieselbes wie in gegenwärtigem Fall / ex singulari gratia einen verlichen / vornehmlich aber zu diesem Ende damit Er in solcher Zeit dasjenige / so er bey andern zu fordern hat / einfordern / und ins künftige seine Creditores damit befriedigen könne: So mag diffals / vermöge anderer Rechts-Lehrer bewehrter Meinung / erwehntes Jus Retorsionis, zumahlen nicht dargethan / daß ihr in Abfall eurer Nahrung durch Unglücks-Fälle gerathen / nicht statt haben ; sondern ihre seyd I. und H. wegen ihrer Schuld / so sie bey euch beständig zu fordern / gedachten Einwendens ungehindert zu befriedigen schuldig /

B. R. W. Add. Dn. Praes. Tract. de Vindict. Privat. C. II. §. 15.

XV. Porro queritur: num cedenti bonis quid relinquuntur debeat? ne unum quidem denarium relinquuntur debere ei, sed excepti usque ad peram & sacculum vult glossa in l. 4. & l. f. que in fraud. Credit. vestes tamen quotidianæ, sub quibus lectum comprehendunt, ipsis non sunt auferendæ. Dn. Praes. Exercit. XLIV. tb. 30.

XVI. Utrum vero qui bonis cessit ab aliis Creditoribus conveniri queat? Sabinus & Cassius putabant non posse inquietari l. 4. de cessione bonorum, quod tam ad priores Creditores coartandum est, qui scilicet tempore cessionis imminebant: nam si postea nova contraxerit debita, denegabitur illi adversus posteriores hujus beneficii exceptio l. 8. d. bon. aut. jud. poss. add. Mynsing. ad §. f. de Act.

XVII. Verum haeres qui bonis cessit hereditatem non reputat, quia ex hoc potius aditio colligitur: quoniam nemo cedit alienum. Nam hereditatem si proprie cessit, suum cessit. Dn. Adev. P. IV. Dec. 227. add. Dn. Brunnenm. ad Rubr. ff. d. cessione bonorum. Id. ad l. 3. C. cod.

XVIII. Et sic obtinet Jure Civ. Jure vero Sax. cessioni bonorum

norum nullus datur locus, sed pro ea mancipatio est, qua ære  
alieno gravatus Creditori ad dicitur: wird dem Gläubiger an Hand  
und Halsfiter gegeben. Coler. d Process. Executiv. P.I. C.III. n.148 C.  
IV. n.124. Dn<sup>r</sup> Carpz. P.II. C.XXII. D.I. add. Dn. Præses Exerc. XLIV. th.  
32. Hahn. ad Wesenb. b.

Jure autem Electorali Saxon. abrogata est addictio inservi-  
tutem. Dn. Carpz. d. I. & carcer publicus in ejus locum introdu-  
ctus. id. ib. D.12. quam pœnam præter infamiam, quam ibi ma-  
litiosus decoctor ipso jure, sine sententia declaratoria, incur-  
rit, etiam STATUTA WRATISLAVIENSIA Artic. XVII. von Vancorot-  
tivern dictitant, addita comminatione hâc: Und sol/ wo er vor-  
seglichen mutwilligen Betrugs sich durch sein Außborgen zu erhal-  
ten/ andere Leute aber damit zu gefahren überwunden/ hier über noch  
am Leben gestrafft werden/ von welchem allen Ihn die Cessio  
bonorum oder Abtretung der Güter nicht befreyen noch helffen soll.

XIX. Hisce præmissis restat ut cessionis effectus inquiramus: alter est alienus à scopo nostro, sc. Carceris non modo  
futuri evitatio; sed & ex eo, in quo jam inclusus est, redemptio.  
I.i.C. qui bon. sed. poss. Schneider v. ad §. f. d. Art. n.2. Alter huc per-  
tinens, nempe copia, si ad meliorem fortunam pervenerit, de-  
ducendi ex quo vivere possit: Nam ab obligatione non sunt  
liberati qui bonis cesserunt: in eo enim tantummodo hoc be-  
nef. iis indulsum est, ne judicati detrudantur in carcere. I.i.C.  
qui bon. ced. poss. add. Myns. ad §. f. Inst. d. Art.

## TITULUS VII.

### De His qui ita tenentur ne ipsis liberali- tas sua inopiam importet.

HUC usque fuere qui ob respectum personæ suæ non in plus  
quam facere possunt, à creditoribus suis sunt conveniendi;  
aut si quidem conveniantur, non tamen damnantur in so-  
lidum; imò etiam damnati ita, exceptionem contra execu-  
tionem sententiaz habent: super est ut videamus quatenus te-  
nantur illi, quorum non persona; sed causa debendi privile-  
giata est. Vid. Donell. ad §. sunt præterea, Inst. d. Art. n.3.

M. Ta-

II. Tales sunt donatores §. 38. d. Act. l. q. §. 1. de re iud. quibus  
D. Pii Rescriptum subvenit: ut qui ex liberalitate conveniuntur,  
in id quod facere possunt condementur l. 28. d. R. §. ne-  
mini enim donatio sua debet esse damnoſa l. 49. d. re iud.

III. Probe notandum hoc speciale eſt, quod inter eos, qui  
beneficium competentia habent nemo deducat ei alienum,  
quod reus conventus aliiſ debet, ne creditor nimis gravetur,  
præterquam donator l. 19. §. 1. d. re iud. l. 49. eod. quia pinguis  
donatori succurrentum, quam ei qui verum debitum perſol-  
vere compellitur, ne sua liberalitatis pœnam patiatur. l. 62. d.  
adlit. Edit. & propter eam inops fieri periclitetur. l. 50. d. re iud.  
add. Mynsing. ad §. Item ſi de dote Inſt. d. Act.

Imo adhuc amplius procedit hic favor: si quis mihi rem  
alienam donaverit, inque eam sumtus magnos fecero, & ſic  
evincatur, nullam mihi actionem contra donatorem compete-  
re Labeo ait: plane de dolo poſſe me aduersus eum habere acti-  
onem, ſi dolo fecit. l. 18. §. 1. de donat.

IV. Quia vero donationes non unius generis ſunt, & hinc  
non ex qualibet conventus hanc Exceptionem opponere pot-  
est donatario, opera pretium eſt carum species delineare.

Omnis Donatio aut eſt mortis cauſa, aut inter vivos: Hæc  
vel ſimplex ſeu abſoluta vel relata, qua respicit cauſam, eamq;  
vel præteritam, ut donatio propter Nuptias & remuneratoria:  
vel futuram, nempe modum & conditionem Dn. Praſ. Exercit.  
XL. tb. 3. ſeqq.

Donatio mortis cauſa morte demum confirmatur, utpo-  
te conditione tum exiente, hinc non opus eſt hoc medio l. 32. d.  
m. c. donat.

Inter Vivos vero donatio, qua sit ob cauſam præteritam,  
proprie donatio non eſt: quia propter nuptias donatio mul-  
ieri fit ad ſecuritatem dotis illat, eique nulla fit realis traditio,  
ſed ſaltem hypotheca conſtituitur, & quaſi remuneratio dotis  
eſt §. 3. Inſt. d. donat. Remuneratoria etiam accepti compensatio  
eſt l. 25. §. 11. d. pet. hered.

Quia vero cauſam futuram respicit, pro ratione modi

D. 3 aut

aut conditionis adiectæ, vel magis vel minus donationi propriæ accedit. *d. Exerc. th. 19.* Quando itaque causa solius donatis lucrum concernit: v. g. Titius dat Lucio centum ut Insulam sibi adficeret, proprie donatio non est; sed contractus in-nominatus do, ut facias, quare competentia locus non datur, neque ob ingratitudinem magis, quam remuneratoria repeti potest. *Schneiderv. ad §. sed & si quis Inst. de Att. add. d. Exerc. th. 18.* Ast si causa quæ subest ad Favorem accipientis tantum spe-ctat, idem statuendum quod de Donatione simplici. Hinc est, quod quamvis extraneus dotem pueræ promiserit ut nubat (quæ est causa donationis) habeat tamen competentia de-fensionem iste. *Mynsing. ad §. sed & si quis Inst. de Att. num. 9. f.*

Exinde fluit quod hactenus dicta de donatione, sint acci-pienda de ea ubi solus accipiens lucrum capit; eum reliquæ non sint mere lucrativæ; sed quodammodo onerosæ.

V. Deinde non datur deducendi vel potius revocandi copia, quando traditio est facta: quippe Liberalitas post solu-tionem abiit in debitum, & quod erat voluntatis, factum est necessitatis: quicquid autem vere debitum solutum est, non potest repeti. *l. 9. de cond. in deb.*

Attameu qui id, quod ex causa donationis stipulanti spo-ponderat, solvi constituit, actione constituta pecunia non in solidum, sed in quantum facere potest, convenientur: causam enim & originem constituta pecunia, non judicii potestatem prævalere placuit. *l. 33. pr. d. donat.*

VI. Quæstio hic movetur: an hoc beneficium heredi Donatoris competat? D. inter heredes extraneos & suos: illis merito denegatur; His exæquitate conceditur. *Vid. Schneiderv. ad §. sed & si quis Inst. d. Att. add. Gothofr. in not. ad l. 25. d. re jud. lit. (h.)*

Expositis hisce superest ut Dissertationis nostra appo-natur.

## CONCLUSIO.

Quæ duplice vice fungi debet: sc. non modo Coronidis locum occupabit; verum etiam quæ in Tractatione (par-tim quod commode inseri non poterant; partim quod brevi-tatis

tatis studio quædam, omnibus recensitis committit, toties re-  
petere nōlui) omissa sunt supplebit.

II. Ejusmodi generale est, quando queritur: Cui, quod  
post mortem debitorum ejusmodi privilegiatorum reliquum  
est, obveniat? Falluntur omnino qui beneficio deductionis  
in tantum sibi prospectum existimant, ut reliquum ad sui su-  
fistentiem post obitum in liberos aliosve heredes successio-  
nis iure transferre possint. Nec enim alia conditione bona ab  
executione excepta sunt, quam ut post mortem debitorum  
creditoribus applicentur. *Dn. Carp. P.I.C. XXXII. D. XVII.*

III. Deinde notandum, quod hunc beneficio renunciari  
nequeat *L. 14. §. 1. Solut. matr.* potest tamen qui causam ejus  
negat, eodem indignum se reddere *L. 17. §. f. 170 Soc. L. 10. §. r. d.*  
*Fidej.* Sic maritus, qui se maritum negat; & socius, qui so-  
cium se esse difficitur desperdit jus lucum *L. 22. de re jud.* Quod  
æquè de reliquis ita pronunciandum. *Manz. Patroc. Pauper.*  
*Dec. 3. q. 7. n. 42. seqq.*

Limitat tamen idem hanc sententiam: Si nimis in  
Negatione usque ad L.C. persistat: que limitatio aliam adhuc  
admittit restrictionem: nisi simpliciter litem negative con-  
statuit fuerit, negando narrata prout narrantur. *Dn. Brunnem.*  
*ad L. 10. d. fidej.* *Dn. Carp. P. I. C. XXXII. D. XIX.*

IV. Ast si convenitum erit inter duos, ut beneficium  
competentiae debitori, alias non privilegiato competit, omni-  
no juxta hanc conventionem statuendum erit. *L. 26. de re jud.*  
quia pacta dant legem contractibus, & quod conventum est  
debet servari. *Vid. Dn. Brunnem ad L. 26. d. 15. jud.*

V. Q. ai competentiae Exceptio sit dilatoria aut perem-  
atoria? Si consideratur respectu solutionis, affirmandum prius,  
quia non permittit Actionem; sed differt tantum executionem  
ad tempus pinguioris fortuna *L. un. §. 7. C. d. R. II. A.* lex enim  
presumit quemlibet ditari posse *L. 10. C. arbiter. Tur.* Si vero  
quoad Processum spectatur posterius assertendum; quia non

impedit litis ingressum; sed potest opponi post I. C. usque ad sententiam, imo etiam post eam in executione l.41. §. f. d. re iud add. Schneider v. ad §. sunt præterea d. Act. n. 11.

VI. Prout igitur diverso tempore opponitur, diversimo de efficit: Si objicitur ante sententiam, operatur ne condemnetur reus, nisi infra quam facere potest: Si vero post sententiam, licet condemnatio sit facta in solidum, moderatur tamen executionem l.41. §. f. d. re iud. l.33. pr. de donat. ast non etiam obligationem tollit, quia reus obligatus manet. Schneider v. ad §. sunt præterea Inst. de Act. n. 12. Donell. ibid. n. 5.

VII. Cæterum hoc beneficium hodiendum in usu esse, contra Colerum, id in foro Saxon. practicari negantem, probat & anexo præjudicio confirmat Dn. Carpz. P. I. C. XXXII. D. XV.

VIII. Tandem denique DEO Ter optimo Gratias ago maximas, pro Viribus ad hanc Dissertationem conscribendam clementer concessis, omnique indultâ Gratia: erit itaq; Gloria Ejus semper Studiorum meorum

F I N I S.

Quod Medium Juris possit relevare sub actos  
Æris & oblatæ debitio rei,  
Egregio, Pfeiffero, Themis tua disserit ausu,  
Ex merito laudum consequiturque decus:  
Hinc alieni olim clamabit conscius auri:  
Huc ades! alma salus, præsidiumq; meum.

Hisce laudandis Dn. Autoris & Respondentis  
conatis gratulab. applaudebat

Matthias Jessen. J. U. D.  
& Illustris Regiminis Saxo-Jenensis  
Advocatus Ordinarius.





Zeeva, Diss., 1679 M-Z

ULB Halle  
005 360 82X



3

V317





# Farbkarte #13

